Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36450
Copyright: Melk, Benediktinerstift

ecclesia diuina misteria celebrantes iu-
giter astitissent. si quando uir dei limina
sanctorum oracionis causa circuisset. Moris
quippe sepissime erat sibi uisitare ba-
silicam sancti marcialis pontificis. Et
ideo ecclesiam suam absque seruitore esse
nolebat. dum ipse sicut diximus ad oraciones
alicubi pergebat. Sed quoniam sua ecclesia
fere uno miliario distabat a flumine
uingenna. uidebatur suis monachis
esse difficile ad hauriendum aquam ire
quotidie. Currit quippe uingenna
in decliui conualle. oratorium uero positum
est in monticuli uertice. Quo circa im-
plorauerunt sanctum leonardum. ut ipse ec-
clesiam collargiret eis presidium limpharum.
Tunc ille non longe ab eadem basili-
ca precepit siccam scrobem fieri in modum ali-
cuius aquosi putei. et supra inuoca-
uit nomen domini ita. Deus fons uiuus
omnium et rerum origo. cuius spiritus super aquas
ferebatur in principio. qui super latices
cataclismi archam noe extulisti. certa
eisdem limphis dispendendo submer-
sisti. qui mare rubrum ut transiret populus
tuus diuidi iussisti. quique per moysen
seruum tuum rupem fluctiuomam esse feci-
sti. qui eciam aquis omnibus legem de-
disti. ut aduersus ualle habeant de-
cursum. uetans ne ad superiora naturali-
ter ascensum habeant rursum. tu domine
per tuam excellentissimam potestatem iu-
be queso contra naturam amnium. ut
uingenna patulos terre meatus
sursum conscendens infundat siccum pu-
teum. quatinus recepta quam desideramus
aqua. nos serui tui semper et ubique
laudemus nomen tuum. quod fuit est et erit
semper benedictum. At ubi responsum
est amen. confestim puteus recepit

aquam indeficientem. que incolis po-
tum prestat usque in presentem diem. Appel-
lauit preterea sanctus leonardus eundem
locum nobiliacum. eo quod a nobilissimo
rege habebat condonatum. Igitur quia
lux latere in tenebris nequit. sicut
dicit scriptura. et non potest abscondi ci-
uitas super montem posita. licet sanctus dei
multitudinem fugerit. et solitariam
uitam sicut sepe prelatum est adamaue-
rit. tamen quia deus gloriosus est in
sanctis suis. et per eos in gentibus facit mi-
rabilia. diuina instigacione conue-
niebant ad eum infinita debilium agmi-
na. que per suum fidelem curabat om-
nipotentis dei gratia. Extendebatur etiam
nomen sanctitatis eius per totam equitaniam.
nec minus per omnem britanniam transgre-
diens etiam usque ad germaniam. In
tantum denique magnificauit dominus
sanctum suum. quod si quis in carcere positus
inuocasset nomen eius. receptis cathe-
nis liber fiebat. neque aliquis eum
impedire ualebat. Multi uero de
longinquis regionibus ex ergastulis
aut ex uinculis liberati. per ipsum re-
quirebant in quo loco beatus leonar-
dus haberet hospicium. Quin eciam
compedes cathenarumque pondera ap-
portabant secum. et ad uestigia
pedum eius cadentes humiliter presenta-
bant. Quam plures uero ibi rema-
nebant. et in more famulorum serui-
tutis obsequia promittebant. Sed uir
dei magis studebat illis seruire. di-
stribuens eis partem ex spaciosa la-
titudine silue. quatinus consuesceret parcius
ex agri cultura. quam scelaribus rapinis
inhiantes irretiaret iterum reclusi-
one obscura. Quos insuper reficiebat